



Disputatio medica inauguralis de circa hominis generationem, & medicamenta ex vegetabilibus & mineralibus illi dicandis

<https://hdl.handle.net/1874/345152>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

Circa Hominis generationem,
& Medicamenta ex vegetabilibus & mi-
neralibus illi dicandis.

PRÆSIDE DEO T E R O P T. M A X.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, Nobilissimaque

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PROGRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis

ritè ac legitime consequendis,

MARTINUS VAN KUYL. GORINCHEM,

Ad diem 6. Julii, horâ locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM;

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, cōc loc xci.

Consultissimo VIRO,

D. JOANNI

V A N

K U Y L,

Juris Utriusque Licentiatο,
Patri meo , Consanguineis-
que venerandis

Hæc Theses Inaugurales.

offert

MARTINUS VAN KUYL



HYPOTHESES.

I.



Ivisio materiae universalis est acidum & alcali seorsum existentes nullum, juncta sublunaria effingunt.

II.

Acidum informando alcali fit sal naturae elaboraturque in volatile & fixum.

III.

Pars in alcali & acidum volatile versa nomine acidi venit vulgo, id nobis spiritum æthereum indicat: pars in alcali & acidum fixum (tach. in alcali reverberatum) nomine alcali vulgo venit nobis aquam indicat, sic ut ex igne & aqua Sdum Hypoc. & animalia vegetabilia & mineralia fiant.

IV. *Acidum & Alcali primi generis volatile, excipitur ab acido & alcali secundi generis fixo, quod primum simpliciter acidum, secundum alcali dicitur: primum in phlegmate secundum in terra scænas ludens.*

V. *Unio hæc non semper in eodem statu permanet, sed particulae subtiliores a crassioribus disjunguntur, denuo que crassæ ex aëre reassumunt subtiliores, & inde formarum in materia vicissitudo, ita ut mors unius sit vita alterius, & quod unum producit alterum destruit.*

VI. *Ex horum combinatione, activitate, varietate, alteratione, divisione, fit constructio, vita, nutritio morbus, & mors animalium, vegetabilium & mineralium.*

D I S P U T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S

Circa Hominis generationem,
& Medicamenta ex vegetabilibus &
mineralibus illi dicandis.

§. I.



Agnæ Medicis sunt tenebræ & cespitationes, circa hominis generationem ; Receptissima modo est opinio , ovum quodlibet in testibus muliebribus a spiritu seminali acido occulto virili fœcundari , fœcundatum ovum de die in diem turgescere, tandem in uterum excludi , & ita cum Harvæo omnia omnino animalia, tali per ovum generationis via procedere sustinemus , licet imperfecta quæ passim appellantur infecta, non ex rebus viventibus sine interveniente spiritu seminali , provenire acriter disputetur , affirmationem tamen tuemur & nitimur , & quia generationem in omnibus eandem statuo placuit è sexcentis generationem hominis , tanquam nobilissimum animal eligere.

I I.

Ergo ut sexus virilis (sit honos auribus) simulac semen generat , singulares suas patitur alterationes , ita muliebris dum ad generationem fit aptus ; nam præterquam quod mulieres fiant puberes , mammæ sororiare incipiunt , vox gravior fiat , &c. in specie patiuntur sibi propriam mutationem , nempe sanguinis per genitalia excretionem , atque ita fæmelle simul ac puberes fiant , anno ætatis præter propter decimo quarto , dum menstruus flos primitus erumpere incipit , simul quoque appetitu venereo tentantur : huic appetitui quandiu satisfactiōnem denegant , virgines dicuntur , adeoque fæmina quæ cum mensum fluxu

fluxu ad generationem quasi se habilitat, à viro satisfactionem recipit, per debitam in congressu admissionem, ejaculando semen in arvum fæmineum: tota enim generationis ratio, à spiritu hoc æthereo genitali (ut hypoth. ostendit 3.) sub crassioris materiæ in volucro excreto consistit: adeo ut hic acidus spiritus omnium qualitatum sub menstruo aquoso sit susceptibilis, ut sanguis, fel &c. & non nisi aquei humores imbuti sint specficio acido, ista autem materia seminis crassa, nullo modo vel in utero subsistente, vel ut materia fætum constitutive. Si enim consideremus ovipera animalia, v. g. gallum de hujus genitura crassiori nil permiscetur ovis fæcundis; sic & pisces ovipari generant ova, quæ tantum quasi irrorantur à genitura piscis maris, omnia ova irrorata, à spiritu hoc fæcunda, quæ non, infæcunda sunt. Id observabile in bombice, hujus fæmella copiosissima generat ova, quæ à tenui sub rubicundo aut non nihil flavescente liquore, seu genitura maris irrorantur, quæ irrorata fæcunda, quæ non, similiter infæcunda remanent: indicia sane ad generationem non concurrere crassa illa, sub qua latet spiritus hic, materia.

§. III.

Spiritus hic seminalis intrat tubum fallopanum ad ovariam: hic statuendum cum Harvæo & Stenone, id quod sit ovarium in oviparis sint testes in viviparis, & in specie in homine, ut qui testes in se parva ova continent, scatentia humore propriaque pellicula circumdata, quæ ovula in aquam ferventem immissa, coagulantur non secus ac gallinarum in forma albuminis ovi in aqua cocti, sunt vero ova ista vesiculosa corpora in ovarii contenta, & ovaria continent nisi ista ova & fluidam materiam, quod si in illis papillæ depræhendantur, id signum totidem ova ex ovario seclusa: adeo ut hinc signum desumi queat in dissectione corporis quoties conceperit mater.

§. IV.

Ad ovarium delatus spiritus, ibidem pars subtilior in folliculos ovum continent, atque ulterius per ipsam ovi membranam se insinuat qui simul cum alcali speciali, sive cum humore subaqueo mixtionem in ovario causat, sive quædam fermentatio excitatur, hæcque mixtio vocatur conceptio: atqui ita proposito nostro acido & alcali (quo cuncta fieri diximus) animalis generationis initium: jamvero quidquid fermentat se expandit & majus occupat spatiū, consequenter hocce in quo capiebatur loco, jam capi nequit; fibræ enim carnes circa fæminarum testes

6 D I S P U T A T I O M E D I C A

sanguine turgidæ, tubulos ovo alimentum suppeditantes comprimunt; atqui nutritione sufflaminata arescit ovi appendix, nec non ulterior fibrarum accidente compressione convellitur papilla ex ovario, per oviductum partim ope fibrarum carnearum ductus fallopiani per eundem ductum in uterum mittitur: a spiritu itaque seminali convenientem nacto formitem magis fermentatur humor, & ut in omni fermentatione formantur bullæ: quæ (conclusi ratione spiritus in iis reciproco quasi motu moti) se expandunt, & à bullulis compressus humor ovuli membrana expanditur, & uti per fistulam in longitudinem erumpit, sic ut fluxu & refluxu, plures à compressione fibræ fermentur: particulæ vero magis & minus ab acido fixatæ, & ob subtiliorum spirituum ex iis fugam effingunt varias corporis partes, quæ (dum motu sanguinis ad capillaria vasa deducuntur, hærent crassæ, subtilioribus diffluentibus) sensum increscunt secundum v. hyp.

§ V.

Spiritus itaque genitalis maris sub crassioris semenis tegmine excretus utero susceptus ovario dein communicatus fecunda reddit fæminæ ova, ipso crassiore genituræ corpore, una cum fæminæ liquore sic dicto seminali denuo e vagina effluente. Ex hac doctrina quam plurimæ controversiæ de conceptione & generatione patescunt plurimum prolium: dum, nimirum gemelli, trimalli, &c. fætus sani una vice à muliere excluduntur, pro numero scilicet ovtlorum in uno aut pluribus se invicem subsequentibus congressibus, à spiritu maris seminali tamquam à gallo fæcundatorum & in utero retentorum.

§. V I.

Ovum itaque fæcundatum, in uterum defertur, (constat autem Deum humani generis primum domicilium voluisse esse uterum) non ut generi humano propagando inserviat (uti ostensum) sed illud augeat ad maturitatem usque debitam: hinc requirebatur talis vasorum structura, nata quovis tempore adstructæ conceptioni, conveniens suppeditare nutrimentum: arteriæ ideoque uterinæ ita fabricatae exstant (ni vitio laboret subjectum) ut semper dispositæ sint, conceptionis in uterum delatae, fibris, suos implicare ramos, & simul placentam formare uterinam, communicatisque ita vasis (non absimile ut semen terræ mandatum in eam suas emittit fibras, & per has ex ea nutrimentum acquirit.) alimentum afferre valeant, hocque uteri plures huic rei arterias destinatas officii esse, conceptionem exspectare (demptis vel natura non dispositis ut

ut minorenibus, vel vetulis, ob arterolas rigidas ut se dilatari non non amplius permittant, vel præter naturaliter ratione sanguinis acidi, crassi &c. ut dictum in §. vii. vel vitio conformatioñis ita disposita sint organa ut fluere singulis mensibus nequeant, v. g. uti sunt à natura steriles) & conceptioni alimentum afferre valeant: licet earum quis conceperit inhabilis ut nutriat erit (sic que defluxio fiet) & hujus absentia a sanguine propulso subtile斯 arteriæ excrescunt necesse est, hinc sensim cumulatus sanguis dilatat eas, & sibi effluenti rimas efficit, sicque sanguinis fluxum instituit, donec conceptione facta intentionem suam consequitur sanguis, & naturaliter emanet, vel in integrum, vel pro parte, lateribus scilicet arteriis non conceptionis fibris in osculatis, hinc per tempus ut plurimum in utero existente conceptu, durat uteri hæmorrhagia statuto tempore, donec tandem simul in placenta formam in osculatae à conceptus vase exstant. Inosculantur hic & arteriæ & venæ matris, similiter & conceptus, fit que transcribratio de vase in vas, & quia vasorum oscula matris sunt majora conceptus & (ut agitur in tubo intestinali) subtilissimæ sanguinis partes ingrediuntur vasa minora conceptus, crassioribus præterfluentibus & per vasa matris remeantibus.

§. V I I.

Separatis minutissimis sanguinis atomis concurrunt, concurrendo constituunt & majores guttulas, & majores sanguiductus, & unum tandem canalem dictum venam umbilicalem, sanguinem in simam partem hepatis deferentem, & ita in venam portæ, e porta in cavam, è cava partim intrat dexteram cordis auriculam, partim canalem venosum, qui à cava in tacto corde eructat sanguinem in venam pulmonalem, è pulmonali intrat sinistrum cordis ventriculum, & inde pellitur in arteriam magnam, & hinc per circumferentiam corporis, sanguis vero immissus partim in dextrum cordis ventriculum, expellitur in arteriam pulmonalem, quæ sanguinem non in pulmones, sed in arteriam magnam per foramen ovale pellit, & ita commiscetur sanguini expulso sinistro cordis ventriculo: quæ duæ viæ peculiares in fætu postquam respirationem in choaverit, flaccescunt, & evanescunt, & ut arteriæ umbilicales in ligamenta degenerant.

§. V I I I.

Quod si non oblitterentur, animalia hæc absque respiratione per tempus vivunt, ut amphibia: hinc ratio hominum respirationem per tempus protrahentium, sic urinatores diu sub aquis absque respiratione vivunt

DISPUTATIO MEDICA

yunt, quia scilicet vasa illa non tam arcte sunt constricta, quin sanguis permeet, & ita circulatio, licet non in pulmones, aliqualiter promovetur: per respirationem autem promovetur sanguinis circulatio, sequitur hinc si respiratio non promoteatur retardetur circulatio: quod probatur spiritu drobellii, quo mediante aer, dum respiratione absumpta sunt particulae haec nitreæ emendarentur, & restaurarentur ut tunc fieret commode respiratio, in loco ubi nullus admittitur aer, quo ope fecit naviculam sub aqua navigabilem Boyle fol. 540. item respiratio difficultis morbos in qua sanguis, vel ob suam crassitudinem in circulo impeditur: ut in asthmate, dispnæa, incubo &c. in quibus affectibus pulsus est rarus & latus: similiter in submersis ubi pulmonibus aqua distentis circulatio retardatur, qua retardatione tandem ad quietem redigi debet & ita cohibita respiratione moriatur: retardatio haec humorum in circulo est & universalis, & particularis, universalis quando in arteriis contentus sanguis ad omnes corporis partes vehitur, & ab eis a venis absorbutus rursus ad arterias regreditur, hic si retardatione aboleatur vitam mox adimit, particularis vero ab universalis dependet: sic ab universalis in hepatem bilis, in glandulis salivalibus saliva, a nervis in cerebro liquor nervus, vel aliis organis, alii liquores fecernendi advehuntur, ita ut quilibet particularium circulantium humorum, proprium suum habeat circulum & usum sic ut horum quolibet vitiato non statim ut in universalis; sed sensim inducis morbis sufflaminati liquoris causam in universalis circulo praebat, omnisque morbus eo collimet, ut per causam mediatam sanguinem mox sistat, vel immediatam sensim retardet & mortem inducat.

§. I X.

Dum interim sanguis circulatur, intrat & arterias umbilicales fetus, quæ iliacis inseruntur, per eas reddit ad placentam, id probat ligatura; vas enim quod fatum spectat pulsat & intumescit, quod placentam detumescit & pulsu destituitur, siveque per placentam discurrens regreditur subtilior pars per venam umbilicalem, crassior per venulas matris. Adeo ut huc usque vitam fetus umbilicalem perlustraverimus.

§. X.

Sanguine interim per universum sistema circulante, nil pati minime credendum, sua quæque viscera (si formata sint) habent in quibus aliquid percoletur, sequestretur &c. & primo sanguis arteriosus delatus ad cerebrum, permeat minima vascula arteriosa, elaboraturque partim

I N A U G U R A L I S.

in spiritus partim in materiam Lymphaticam: dein præterquam quod sanguis in cerebrum fluat, est & propago rami arterialis à carotide, quæ serosam partem à cerebro anticipat, & serum in narium glandulis deponit, & ita per narium cavitates in fætus domicilium, & hinc lucet obscura illa controversia, unde aquæ parturitionis, quibus fætus involvitur: hæc nimurum simul ac liquor ex alembico destillat è proboscide in recipiens, ita è fætus naribus destillat in involucra. Sed urgeat quis unde tantæ aquæ, id in adiutorium adhuc intellectum volo, habere etiam, glandulas parotides, & maxillares, ibidemque etiam sequestrari Lympham à sanguine ascendentे arterioso, carotide & vertebrali: dein ex oculis, punctis Lachrymalibus, papillis labiorum, uvula, epiglottide &c. & aliis quam plurimis in ore sitis glandulis fluere Lympham: similiter & urina, dum separatur in glandulis conglomeratis renalibus, per ureteres in vesicam destillans, quæ tamdiu ibi hæret donec copia sua vesicam distendat, & ita effluat urina, in aquas quibus innatat fætus: est autem urina hæc blanda, & dulcis, nec acredinem præ se fert, ut adulorum. Hanc vero sententiam argumenta probant, primo si arte liquor iniiciatur per arteriam emulgentem, tam in fætu, quam in adulto, secernitur limpha per ureteres in vesicam: præterquam quod fætus à parentibus calculosis, aliquando in eorum pelvi reperiatur, materia dura, lapidea, adeoque percolare Lympham.

§. X I.

Lympha involucris inclusa patulam, quo fluat, querit viam, undique vero succincta membranis defluxionis via negatur, in ea fætus hiante ore fluctuat, per consequens ut fluat in os, deprimendo epiglottidem dilabitur in ventriculum, ibidemque fermentari & alterari certum est, quoniam sua habet vasa succum fermentabilem suppeditantia: sed antequam progressum faciamus liber paulisper ea trutinare, quibus fermentum illud naturale decantatum (à quo vel destructo aut depravato morbos plurimos fontem sumere contendunt) fuscitans appetitum naturalem, superstructum est.

§. X I I.

Quidam ejus ex Liene, hi a reliquiis chyli & affluente saliva, alii ex arteriis per glandulosam ventriculi tunicam primordia derivant, omnes vero in eo fære collinant esse, acidum fermentum, quasi vitriolicum, probare; sed num sine tali acido excitetur appetitus, non probatur:

B

acidum

10 D I S P U T A T I O M E D I C A

acidum hoc rude (quod ad digestionem conferre non negamus) producitur ex reliquis ciborum, quæ si quantitate, vel qualitate peccant, sit digestio vitiosa, sic ut pro præternaturali appetitu excitando concurrat fermentum tale acidum, non pro naturali, quod quo magis exsuperat eo magis nocivum esse comperimus, ut in bulimo fame canina, hypoch. affectu, claret. Sed pace horum, si acidum simile ventriculi, sit causa appetitus naturalis primaria, quare non coagulatur lac in infantium ventriculo (ut sit in illis quorum ventriculus acido repletus est) cum notum sit Lac à simili acido coagulari: à juvantibus & nocentibus, acidum semper deberet appetitum excitare, &c. alcali extingueret, non simpliciter hæc vera sunt, tam alcali quam acidum appetitum promovent. Subjectum vero appetitus, à succo nervo dependere, phænomena plurima nos persuadent, sic in amore, ira, odio, terrore, dolore, fame protracta, calore, veneris abusu, opiatis &c. sufflaminatur appetitus, quid enim in his affectibus sit, vel depauperantur vel disturbantur, vel sufflaminantur spiritus per quos sit appetitus. Sic in subtili consistere, non tamen simili acido exempla docent: quia non simul acidum si ventriculo inesset, destrui debet, a prolatis casibus: quid enim amor cum acido? quid venus? quid terror? quidve dolor v. g. nephriticus, vel dentium cum acido ventriculi? Luculenter satis non subjectum acidum tale esse: quid enim venis & nervis (secundum Coum) magis nocivum, quantumve acidum detrimenti circulantibus humoribus adserat, scorbutici norunt. Fundamentum hocce sanguinis circulo innixum, hujus pro contentorum diversitate varius est, & ab eo succus nerveus, vel spiritus (ut dicitur) varius, & inde appetitus animalium varii, vix enim offendimus homines æquali sanguinis textura sibi similes, adeoque & secretorum succi varii, & hinc varius, in variis appetitus, si adductum alimentum absumptum est tum, ut conservetur circulatio (succus nerveus ad appetitum stimulandum excitatur) si tum laudabile suppeditatur alimentum, nullis vitiis inquinatum, peragit munus suum, & ex quali pabulo sit sanguis, talis erit & natura succi nervi appetitiva, sic canis ossa, bos gramen, feles iures, homo alimenta alteri homini indigestabilia appetit & digerit, sin minus tum sensim perit circulantium textura, & qualis si sit sanguis tales erunt & succi ab eo secreti, & per consequens succus nerveus generatur depravatus, & varius appetitus vitiosos sovet, vel non generantur, vel disturbantur.

tur, ut in animi affectibus, aut morbo aut senio &c. appetitus sufflaminatur.

§. XIII.

Cum vero novus, & novus oboriatur succus alimentosus, contineri ventriculo nequit, sequitur & alium propelli in tubum intestinalem, ibidemque denuo alterari cum triumvirali succo, bile scilicet, succo pancreatico &c. fermentans hæcce materia in intestinis, & motu peristaltico fluctuans (succus vero alimentitius, ope bilis, succi pancreatici &c. à scoriis excrementiis separatus) pars subtilior per velamentum bombicinum transcolatur, & hinc à vasis lacteis resorptus, per glandulas mesenterii ad receptaculum commune fluit, ex eo per ductum thoracicum, venæ axillari sinistræ chylus infunditur, commisceturque massæ, scilicet dein per peripheriam corporis distribuendus! pars vero crassior remanens mæconium audit, protenditur usque ad anum, nec ulterius, & ita sensim replet intestinum rectum, ileon, cæcum &c. & ita retrogrado progrediendo donec non amplius retineri possit, & ita hac fætus molesta affectione exitum petat. si quis dicat illud excerni? pr. falsitas hocce experimento, sume parum, mæconii, immite liquori Lymphido, inficit & conspurcat totum liquorem & simile quid in aquis quibus fætus innat non reperitur, ergo.

§. XIV.

Sanguis per circumferentiam corporis dum distribuitur, non in partibus distributis hæret, sed ut per arterias fluit, ita transcribratus partes per venas refluit, ad principium: hinc dum ob sui crassitudinem vel acridinem &c. non conveniat illis tubulis, sic ut ob texturam vitiosam partium horum vel illorum non respondeat, ab insequentibus vero humoribus propulsus, vel eos obstruit vel disrumpit, siveque texturam invertit, circulationemque interturbat, & ita morbos generat, sic ut omnium morborum somites consistant, in genere in circulantium humorum poris, & particulis, à debita sua textura, connexione, ordine &c. plus minus contrariantibus: curantur hi vel natura vulgo (secundum modernos circulatione partibus heterogeneis vel propulsis, vel recte dispositis) sive per se, sic ut natura, sive pars corporis fluida circulans obstructas vias referat, vitioseque contextas restituat: vel medicaminum ope illa circulatio promovetur. Liquet hinc artis medicæ fundamenta circulantium omnium humorum motu, conferente spiritu æthereo (quod alibi probatum) superstruenda obtem
B 2 veniant.

veniunt. Hic vero pro acidi ætherei plus minus diversitate varius est, & ab eo diversa hominum temperamenta, sive sanguinis circulantis effectus.

§. X V.

Præter hunc usum generalem, etiam in singulis partibus, & visceribus internis, non tantum certam acquirit alterationem; sed & fit separatio liquoris cuiusdam ut in hepate bilis &c. quo facit dum præter alia viscera ad glandulas movetur, ut in iisdem aliqd separetur, quod ad lymphæ elaborationem requiritur, idque tam in conglobatis quam conglomeratis, in utrisque perfici lympham notum est: ex glandulis tamen conglomeratis in cavitates certas ad singulares usus effunditur, & peculiaria obtinet nomina, & officia, ut sunt saliva, succus pancreaticus, lachrymæ, urina &c. ex conglobatis vero per peculiaria vasa sanguini in venam axillarem sinistram denuo infunditur, & generali nomine lympha dicitur sic ut omnis liquor lymphaticus aut in certas cavitates corporis, ad usus quosdam peculiares, aut in utiles, vel in M.S. ad usum universalem sit.

§. X V I.

Formatus fetus, & uteri cancellis inclusus, tandem ut excludatur necesse est, hoc vero & si ordinario in finem noni, & initium decimi mensis incidere soleat, non tamen semper ita, quin ante ob matris robur, & virilis semen debitam constitutionem ut octavo, septimo, sexto, imo quinto: vel post hoc tempus, ob debilem parentum naturam, ut undecimo, duodecimo mense serius aut citius absolvatur maturatio, authores testes firmiter esse volunt, adeo ut tempus partus naturalis in hac sit abortivum, in illa, sicut sola immaturitas fetus, non temporis abortum adesse denotet: haecque vita est fetus personæ, quem exstructum & auctum vidimus per propositum acidum, quo partes magis fixatae infirmæ, & minus fixatae, in fluida sunt redactæ & effictæ: Atqui huc usque actiones quæ ut animali tam ad esse animale, quam ad esse vitale, convenient; quoties ut in esse humano constituitur intellectus operatio propria animæ rationali ei super est: haec anima rationalis cum sit immaterialis, & substantiæ similes in sua essentia a causis naturalibus lœdi aut ejus actiones virtutati nequeunt: philosophis considerande relinquuntur, haec autem anima rationalis cum sit plane spiritualis, & quasi divina, ipsi tamen inservit anima materialis, & ab ea afficitur, ut ut nemini à priori sit cognitum quod modo

modo substantia animæ rationalis à materiali afficiatur. Super esset quomodo quando &c. illa immaterialis infundatur fætui, verum quia opus illud divinum est, spiritus academicus mysteriorum illorum est incapax, & ne ab eo quod propositum est longius divagetur intentio, pithologiam perlungemus.

§. X V I I.

Ut animalium a præfato spiritu in menstruo aquoso sive alcali scænas ludens generationem vidimus, ita non alia mechanice, & naturaliter, natura progreditur via in vegetabilibus, summus hic salium cuncta pervadit, componit, vivificat, & ornat, & quo hic magis vel minus materiae, sive alcali hoc vel illo modo diffusus & commixtus, inde salium linguis afficientium, & propriarum virtutum diversitas: mixtura hæc si arte alteretur, vitiatur specifica virtus, ita purgantia per acida castrantur, & alkalibus inter quæ præcipue tartari stimulantur; narcotica per volatilia corruguntur: acria per crassa oleosa & viscida temperantur, medicamenta terra addito acido magis adstringunt &c.

§. X V I I I.

Quia de simplicium virtutibus sit mentio lubet ante eorum generationem vires indagare: harum indicium ex saporibus hodiendum, & saporum differentiis investigatur, dein ex signaturis vegetabilium, planarum scilicet radicum, foliorum & præcipue seminum constitutione, convenientiam virtutum generalium desumpserunt. Ita *ex foliis*. v. g. Aspri-foliæ herbæ pleræque vim habent adstringentem, convenientes in fluxionibus: ut anchusa, ecchium, pulmonaria, aparine &c. ita plantæ pappelentes omnes sære virtutibus plus minus convenient, quod habeant blandum acidum, in sanguine corrigendo, ut arceantur morbi chronicæ, ut sonchus, lactuca, scorz, ering, hieracium &c. sic demptis paucis, omnes plantæ *verticillatae* convenient viribus, constant enim sale volatili oleoso aromatico, vel grati vel graveolentis odoris, si grati in capitis vel stomachicis, si ingrati in uterinis vitiis (omnia enim graveolentia sunt uterina) convenient: ut salvia, lavend: teucrium, thymus, mentha, lamium, majorana &c. si signaturam ex *floribus* consideres ita omnes plantæ umbellatæ, plurimum constant sale aromatico, hinc sunt carminantes, sudoriferæ, & diureticæ ut cerefolium, coriandrum cuminum, feni, smyrnum, anglica, levif. laserpitium &c. sic plantæ floræ tetrapetalosiliquose, habent sal acre plus vel minus: ut alaria, crysimum, eruca, piperitis: ut & multæ plantæ multi-siliquæ,

24 DISPUTATIO MEDICA

sunt vel venenatæ, vel non sunt medicæ virtutis. Constitutionem *seminum* si spectes, ita plantæ angio polyspermæ seminibus nudis, habent acredinem, magis vel minus, à qua vis potentior, ut cheled. ranunculus, anemo., pulsatilla, clematis, helleb. inger &c. ita quidquid acre percipitur in lingua, id sal, acredo enim indicat præsentiam salis, & quo potentius afficitur lingua, eo potentiores habet virtutes: hinc acria sudorifera sunt, quatenus spiritus acidus, magis in acribus latitans, humores agitat, & motum sanguinis ita auget ut magna illorum pars sub forma vaporum ad glandulas subcutaneas prematur, & transcriberet, sic ut in superficiem cutis tollatur: differunt in eo diuretica, quod sanguinem minus attenuent, hinc si non sint tam acria, sed blandiora, sunt diuretica: acri huic simul si adsit vellicatio nauseosa, sunt vel emetica vel purgantia. Cæterum saporum in plantis diligens & curiosa observatio, ad nondum cognitarum aut oblatarum vires investigandas, eximii usus esse potest, cum vero in iis quarum vires traduntur, quæ saporibus convenient, viribus etiam convenire compertum sit: quid ni in nondum compertis argumento à simili, observatio locum habeat? ita in jalappa, & mechoacanna, quæ eundem faecibus nauseosum saporem, magis vel minus imprimunt, vi cathartica intensiore, vel remissiore polle-re, colligere inde licet alias etiam plantas, quæ eundem gutturi saporem imprimunt, eadem quoque facultate purgatrice dotatas esse, tale judicium, in austerioris, quæ adstringunt, in nitrosis, lixiviosis &c. & hisce commixtis omnibus.

§. XIX.

Quod vires operentur diversimode in homine, id non vitio hujus indicii, sed ratione doseos, vel naturæ subjecti, sive succi stomachici & sanguinis textura alia, aliter & aliter præcipitetur: quod probant sequentia; pleraque uterina si in majori dosi exhibeantur solvunt alvum: ut matricaria planta uterina si ad ʒ. vel ʒi. succus exhibetur purgat: ita purgantia in minori dosi sunt diuretica: similiter salibus blandis nitrosis exhibitis diuresin, in minori, diaphoresin in majori dosi exhibitis causabunt. Ratione subjecti, sit ut una eademque medicina exhibita, huic alvum solvat, alteri vomitus causet &c. quod diversimode præcipitetur in hoc vel illo ventriculo, vel sanguine, claret in reguli antimonii scorpiis solutis si cum tartaro præcipitetur sit catharticum, si cum spiritu urinæ habebis loco cathartici diureticum.

§. XX.

§. X X.

Quod corpora hæc vegetentur, si dispositione pororum seminis plantæ, pororumque figura, magnitudine &c. protrusione alimenti, cibratione, & adhæsione, latitans in alimento, & efficiens in his spiritus ille aëreus. Ita semen terræ mandatum sp. ille aëreus in humore latitans, pervadit poros corticis, ad ipsas seminis, sive acidi quasi dormientis particulas pervenit, illisque miscetur, ex commixtione fit motio, & ita seminis conceptionis initium, ratione cujus partic. seminis cum humore sub ingresso, jam nequeunt intra corticis angustiam contineri (simil ut de fætu dictum) quare erumpunt, & ita fibrillæ plantarum generantur: præcedentis humoris alias & alias succedit, qui cum præexistentibus seminis particulis mixtus, continuo auctis humoribus augeatur corpus vegetans.

§. X X I.

Fit nutritio ita, omnes pori eo ipso momento, quo humore intumescunt dilatantur, per quos tunc acidum æthereum magis & liberius movetur, & circulatur, circulando & fermentando deponit particulas ab acido hoc & alcali fixatas, quarum illæ inhærendo poris, vegetabile nutritur, aliæ quædam subtilem cibratione quadam per insensibilem transpirationem abeunt in auras. Partes enim humidiiores tam plantarum, quam animalium, in perpetuo sunt fluxu, id ex foliis, vel ramis decerpitis vel fortiter constrictis appareat, flaccescunt obfucci eorum vasa replentis, & distendentis fugam, sine alterius successione: hinc omnino dicendum succum illum qui venit ad folia, ibi pro maxima sua parte non permanere, sed reverti & circulari, ut postea ad fructus perveniat: id claret experientia vitis, foliis omnibus sponteatur, relicta fructibus nondum maturis, ad debitam perfectionem & maturitatem non perducentur: patet etiam succum non tantum à trunco ad ramos sed a ramis ad truncum fluere, crescunt enim aliquæ plantæ licet inversæ imponantur terræ, sic ut succus per ramos ad truncum ascendere cogamur dicere: idque etiam confirmatur ex eo quod plantæ aliquæ nutritæ fuerint, & accreverint per imbreem & rorem desuper effusum in folia, sic ut à radicibus succus nullus ascenderet. Præter rationes varias probat id experientia rec. in arbore betula facta.

§. X X I.

Nutritio itaque & vegetatio vegetabilium sit simili plane modo sicut:

sicut in animalibus, continuo enim succus alimentaris circulatur per vegetabile, uti sanguis, adeo ut succus qui jam est in ramis, & foliis, iterum revertatur ad truncum, & quod in animalibus per vasa lactea succus fecernatur subtilis id plantarum radicibus correspondet.

§. XXXII.

Succus ille nutritius intus susceptus, si vel minus parce vel copiose, subministretur, aut noxiis aliquibus particulis imbuatur, aberat, & vegetabilium morbos causat: si parce sit quod fibræ duriores siant, tubuli & pori valde angustantur nec commode dilatari possunt, ut ad certas partes veniat, liberam circulationem inhibent, hinc corticis in arboribus nimia constrictio, quæ succi liberum ascensum impedit, truncus in latitudinem expandi nequit, cui malo ut succurrant corticem secundum latitudinem incident: Alique etiam plantæ ex nimio alimento morbo laborare patet in arboribus resiniferis, quod vero resinofitas sit ab alimento nimio, patet quia delatae arbores in locossteriles, vel vasa fistilia paucam vel nullam resinam producent, & inde earum remedium quod detur iis terra inepta huic luxuriosæ nutritioni, ne tantus subintret humor: sit etiam ut quedam ita luxurient, foliis, floribus &c. ut fructum nullum producant, ut videre est in plerisque arboribus flore duplice pleno: Noxiis particulis imbui, id claret in fistilibus fundo impervio satæ stirpes languent, & tabescunt, quia scilicet aqua stagnans, putrefacta, & alienis particulis commixta, apta nata est parere obstructions, & circulationis siderationes, & inde plantarum tabes, cui morbo in excolendis in fistilibus plantis exoticis ut succurrant, singulis trienniis denudant radices, & radicum fibrillas amputant, idque claret in limonio & aurantio, abscessis fibrillis latus dein vegetantur: adeoque defectu succi nutritii, fame vegetabilia non minus, quam animalia tabescere & tandem enecari minime dubium est.

§. XXXIV.

Hypotesis hæc dubiosam plantarum generationem tollit: succus alimentaris, dum circulatur per corpus plantæ sensim perficitur, & debitas induit figuræ, & virtutes, si per hos vel illos plantarum poros fluat, ut sanguis, dum per hæc vel illa viscera fluit, modo lac, semen, bilem, modo serum separat, unde sit ut diversæ arbores producant folia, flores, & fructus, diversæ figuræ, odoris coloris, & saporis quatenus succus circulans motumque, circulationis taliter vel taliter

taliter determinans, & percribrans poros, secundum particulas suas aliam figuram & magnitudinem induat, ut si fonti artificiali imponatur ferrea instrumenta diversimode perforata, erumpat aqua diversimode figurata, pro ut aquæ motus per foramina determinatur, vel ut stella, sol, globus &c. quod autem primo ordinarie orientur folia, dein flores, & fructus, fit ex diversitate materiae subtilitatæ; quod autem materia ista acida ætherea alteretur, & diversificetur, in plantis docent nos fructus paulatim mutantes saporem, sic ut sub initium v. g. fructus arboris pomiferæ sapor sit quodammodo ligneus, dein acidus, & tandem acido dulcis, & ita generantur, nutriuntur, & vegetantur, vegetabilia, & suo modo vivunt & homini dicantur.

§. XXV.

Ut vero in mineralibus exspatiemur, restat ut videamus quid idem ille spiritus æthereus in cryptis subterraneis efficiat, quæque sit mineralium generatio, & utilitas, ut ut nonnulli sint qui rem de medicamentis ex mineralibus desumptis reddant dubiam, & quasi inutilia rejiciant, verum res tota consistit in legitima eorum præparatione chymica, in qua etiam venena crudelissima abeunt in medicamenta saluberrima, quod patet in antimonio, dum figitur ejus malignitas, quæ latet in sulph. vol. evadit sudoriferum: similiter arsenicum, quod venenum, est præsentancum, si ita præparetur inde deduces medicamenta saluberrima: p. tartari, calcis vivæ ana. p. 1. Arsenici. p. 11. ita ut hisce alcalibus acidum corrosivum figatur, hocque arsenicum sepius calida aqua ablutum, reponatur in locum frigidum, resolvetur in liquorē, estque præsentaneus in cancro: quod si hic liquor imbibatur oleo tartari p. d. habebis arsenicum fixum, sudoriferum: similiter cinaberic, merc. sublimatus omniaque volatilea corrosiva debita operatione corriguntur alcalibus.

§. XXVI

Si itaque spiritus mundi æthereus in materiam mineralēm incidat, porosque variarum figurarum permeans aliqualiter in illis hæret, & efformat sibi, pro ut ita vel taliter inhæret diversitatem corporis e.g. si materiam metallicam statim recipit determinationem, & multiplicationem naturæ & virtutis metallicæ, &c. & licet oculus quotidie videat acidi naturalis multiplicationem, minime incorporationem, id verum esse sequentes nos persuadent rationes: minera salis petræ v. g. evacuata, post annorum lapsum rursus repletur: similiter & aliquando

C

tan-

48 DISPUTATIO MEDICA

tantum ferri è fodinis erutum videmus ut non solum per annorum ceh⁴
turiā diceremus non fodinas, verum integrā fāre plagā abstulisse
tamen post annorum decursum eductū renascitur, & melius aliquan-
do quam ante: fit id quatenus alcali mineralis ibidem præcipitatur à
mundi spiritu, & ita adaugeant, & concrescant mineræ, nitro æthe-
reo, si in alcali terræ hujus vel illius naturæ occurrat, fit horum unio
& commixtio, ita ut ambo coagulentur in magis vel minus firmam
coloratam, &c. materiam mineralēm.

§. XXVII.

Ne autem fabulosa appareant spiritum illum si in hanc vel illam ma-
teriam incidat, efformare diversa corpora mineralia, his experimentis
ad id trahor. Destilletur ex igne nudo sal commune, cum bolo p. iv.
omnibus in pulvrem redactis, acidus egreditur liquor, huic affunde
oleum tartari p. d. donec strepitus cesset, mixturam hanc vitro vase ex-
halato, leni calore, & concrescat, habebis splendentia salia salis com-
munis, ita ut cum alcali tartari spiritus hic redierit in verum sal com-
mune. Similiter destilla ex vitriolo exsiccatō spiritum qui acidus est quem
ex retorta denuo rectifica huic sp. tantum affunde alicali tartari q. s. hu-
morem aqueum exhalato &c. in locum frigidum removeto, invenies
grana vitrioli formam ludentia, & ita acidum salis fit sal cum alcali ejus-
dem naturæ, acidum nitri nitrum, aluminis alumē, & quid plura
acidum cuiuscumque minerali destillata cum alcali tartari reinduit scæ-
nam sui concreti: adeo ut omnis sp. acidus ex quo simplici eductus est,
formet sibi corpus in alcali propriæ suæ naturæ simile, ita ut non solum
animalium, omniumque mineralium, sed etiam vegetabilium, illud
idem fiat ex quo spirit. acidus eductus est id quod claret in tartaro rege-
nerato (notum quod hic in vino præcipitetur ad latera doliorum, vinum
vero est productum vegetabile) sic sume acetum destillatum (ex vino
enim fit acetum) & affunde alicali tartari ad satietatem, & coagula ad sic-
citatem, quæ mixtura nigra & turbata evadit, dissolvatur hæc, filtre-
tur, siccetur, & habebis tartarum regeneratum viribus cum tartaro com-
muni coincidens: ita ut ex suppositis claret tach. dogma quod idem alicali
tartari, acido spirit. aluminis, nitri, vitrioli &c. impregnatus assumat
nomen quocum conjungitur, non secus ac in politicis fæmina juncta
viro amittit nomen stemmatis paterni & viri cognomentum induit. Sic ut
idem spirit. æthereus, iudit scænam secundum dispositionem materiæ
terrestris cui miscetur.

§. XXVIII.

§. X X V I I I.

Quod vero experimenta dicta in quibusdam simplicibus non succedant, uti in sulphure, non ex acido sulphuris cum alcali tartari sit sulphur flammam concipiens, id fit ratione tertii interdum admixti concreti, qua proprietatem propriam habet, scilicet terreæ pinguedinis, adeo ut si tunc cum terreis ut omnibus calcinatis bolo &c. destilles sulphur sublimabis. Quod acidum reinduat aliud concretum ubi pinguedo ista terrea absumpta est flamma id improcessu hoc patebit. $\pi\kappa.$ limat. veneris, & sulph. ana q. s. calcina in instrumento cap. 3. vel 4. hor. & accipies crocum. $\pi\kappa.$ hujus Lj. sulphur. 3ij. impone ollæ fiat ignis latus, ut sulph. pinguedo deflagret, movendo semper materiam ferro ad horæ quadr. tandem augeatur ignis, ut totaliter à pinguedine liberetur, dein huic materiae reaffunde sulphur, idem tertio vel quarto repeate, fiatque ut ante, donec molle fiat materia, tum amove ab igne, pulverisetur, & imponatur aquæ calidæ, semper movendo, donec frigescat, filtra, & evapora, ad medias, & in frigido crystallisetur, non sulph. formam ludent crystalli hæ, sed vitrioli, hæ crystalli vitriolicæ, si calcinatae fuerint, præstabunt tibi remedium in fluxionibus, virtute enim adstrictoria eximia gaudent, chyrurgis minime deserent, vulnera enim quam citissime perfanant.

§. X X I X.

Non aliter, ut superiora lapides generantur, ex hoc alcali & acido præposito: forsitan videbitur sapere paradoxum, durissima illa corpora ante formationem fuisse fluida, sive aquam, & ut ostendi alcali, & ne quis dubitet de eorum generatione, en ratio & experientia: depræhenduntur lapides in locis in quibus ante hac non fuit nisi terra mollis: dein inveniuntur lapides intra quos sunt ranæ, muscæ, ligna, imo & liquores: ita Boyle in tr. de gem. orig. refert quod fæmina habebat crystallum quæ includebat intra partes guttam aquam mobilem: secundo ne quis dubitet quod generentur ex aqua, id aliqualiter demonstrant concretiones lapidum, ut & fontes petrifici, mechanici vero in fusionibus lapidum v.g. in compositione hyacinti. $\pi\kappa.$ limat. veneris, antim. minii, vitri, nitri, fundantur & fiat pasta: dein $\pi\kappa.$ vitri minii, nitri, funde in vitrum saturninum: $\pi\kappa.$ prioris pasta, vitri saturnini, nitri, minii funde (quæ fusio liquida est, refert que aquam) & erit hyacinthus seu lapis succini forma dum friget.

§. X X X.

Generantur lapides per hoc, quod spirit. acidus æthereus cum aqueis alcalicis coniunctus, ita ut istud alcali & acidum, certis constructum sit particulis, uti spirit. vini & urinæ coagulantur in duritiem, quo etiam confert quod quædam particulæ subtilem cum aqueis exhalentur, sic hac ratione generantur arenæ dum scilicet aqueæ particulæ mixtæ cum acido æthereo, quæ ad instar vaporum elevatæ & motæ in parte terræ exteriori ubi sunt pori latiores hærent & in guttulas rediguntur, quæ ope alcali & acidi fermentatione, & partim humidi effluvie sensim indurescunt, & grana illa constituunt hinc quia eo tempore quo materia fuit fluida acidum aliud non saturatum sat alcali, & effluvie prioris, per illam fluens (Carth. materia primi elementi) vias sibi formavit rectas, vel rectis æquivalentes, grana illa sunt transparentia: sic & lapides præiosi, ut arenæ, generantur, eadem particulæ quæ in minori copia constituunt arillas arenæ, in majori lapides præiosos, qui indurescunt (ut ante) ita ut lapides illi comminuti sint arena. Si itaque aqua ante dicta habeat particulas metallicas, ab his lapides colores suos deducunt v. g. rubinus de auro &c. & alii de aliis metallis, quod mechanice ita ostendo: solve aurum defunde aquam ad situpi crassioris consistentiam, hunc vitro pulvrisato superfunde, & coque ad siccitatem, & hujus massa, vitri crystallini, minii, nitri, arsenici, inponantur crucibulo & liquefiant, refrigescant, massa eximatur & seca cum adamante in formas dein flammæ ignis exponatur tunc color rubineus prodibit: similiter si feceris menstruum, cuius ope gemmarum extrahitur tinctura, videri satis posset, quo constat genere metallico. Ita si destillaveris enchirisibus paucis observatis, spiritum è pane, qui superfusus gemmis pulverisatis, colorem extrahet, ut ex saphiro cærulænum, ex granatis rubrum &c. quæ tincturæ si debito modo essent evaporatae, & remanens massa in copia foret, ut super cupellam experiri posset, ostenderet concreti originem: ita Boyle habet exemplum in extractione granatorum, ope aquæ regis reductis in minimum pulvrem, evaporavit menstruum, obtinuit crystalla quæ miscuit cum extractione gallarum, & exemplo prodibat aterrimus color, ex hocce tentamine suspicabatur, quod granatus à quo colorem acquisivit, esset naturæ partim martialis. Sieque pèterravimus tam animalium vegetabilium & mineralium per alcali & acidum generationem & essentiam.

F I N I S.